



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1842**

II. Ablassbrief des Pabstes Urban für das heilige Blut zu Wilsnack, vom Jahre 1384.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

## II. Ablassbrief des Papstes Urban für das heilige Blut zu Wilsnack, vom Jahre 1384.

Vrbanus Episcopus, Seruus seruorum Dei, Vniuersis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, Salutem et Apostolicam benedictionem. Licet is de cuius munere venit, vt sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter seruiatur, de abundantia pietatis suae, quae merita supplicum excedit, et vota bene seruientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem, et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei, quasi quibusdam allectiuis muneribus, Indulgentijs videlicet et remissionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinae gratiae aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, parochialis Ecclesia S. Nicolai in Vuilsnack Hauelbergenfis Dioecesis, per nonnullos iniquitatis filios combusta, de nouo construatur, ad cuius consummationem, fidelium suffragia sunt plurimum oportuna. Nos cupientes dictam Ecclesiam ad debitum perducere effectum, vt postquam constructa et aedificata fuerit, congruis honoribus frequentetur, et vt Christi fideles eo libentius causa deuotionis confluant ad eandem, et ad constructionem ipsius, manus promptius porrigant adiutrices, quo ibidem vberius dono coelestis gratiae conspexerint se resectos, de omnipotentis Dei Misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius autoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, nec non in Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beatae Mariae virginis, Natiuitatis beati Johannis Baptistae, dictorumque Apostolorum Petri et Pauli, et ipsius Ecclesiae dedicationis festiuitatibus, et celebritate omnium Sanctorum, nec non per ipsarum Natiuitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini, ac Natiuitatis et Assumptionis beatae Mariae, et beati Johannis, et Apostolorum Petri et Pauli praedictarum festiuitatum Octauas, et per sex dies deinde festum Pentecostes immediate sequentes, praefatam Ecclesiam deuote visitauerint annuatim, et ad constructionem huiusmodi, manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festiuitatum et celebritatum vnum annum et quadraginta dies Octauarum vero, et sex dierum praedictorum diebus, quibus praedictam Ecclesiam visitauerint et porrexerint manus adiutrices, vt praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentijs misericorditer relaxamus praesentibus post decennium minime valituris. Datum Neapoli apud maiorem Ecclesiam Neapolitanam X. Calend. Martij, Pontificatus nostri, Anno sexto.

Nach Lüdtk.

## III. Des Metropolitens zu Magdeburg und der Bischöfe zu Lebus, Brandenburg und Havelberg Ablassbrief für das heilige Blut zu Wilsnack, vom Jahre 1384.

In nomine domini amen. Albertus miseratione diuina sanctae Magdeburgensis Ecclesiae Archiepiscopus, Johannes Lubufensis Ecclesiae Episcopus, Theodericus Brandenburgensis, et Theodericus Hauelbergenfis Ecclesiarum Episcopi, Vniuersis Christi fidelibus, ad quorum noticiam praesentes nostrae literae peruenerint, Salutem in Domino sempiternam. Quoniam, vt ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi pro vt quisque in corpore suo gessit, siue bonum siue malum: Rursum, qui seminat in benedictionibus, de benedictione et iam metet vitam sempiternam: qua propter oportet nos diem messonis extremae, misericordiae operibus praenire. Attendentes manifesta et notoria miracula, quae propter violentiam et concremationem in Ecclesia parochiali Sancti Niholai villae Vuilsnak, a nonnullis filijs iniquitatis, Dei timore postposito, et omni verecundia retroiecta perpetrata, dominus noster Jesus Christus